



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Indicibvs Illvstratvs Et Avctvs Concionatoriis

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

Cap. IX. Auctores quomodo legendi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77031)

monica. 7. Optica, quæ dimensiones linearum, superficiorum ac corporum complectitur. 8. Calculus triangulorum tam planorum, quam sphericorum. 9. Conica Apollonii Pergæi. 10. Algebra, numerorum miracula continens. 11. Geometria sublimior, quæ omnium rerum dimensiones comprehendit, Holometria rectius appellanda. 12. Musica Arithmetica conjuncta, quæ vocum & sonorum numeros considerat.

In Mathesi duces sunt *Archimedes Syracusanus*, & *Claudius Ptolemaeus*. Ab his *Theon Alexandrinus*, *Pappus Alexandrinus*, *Apollonius Pergæus*, primarii numerantur inter præcos.

Recentiores, & meo quidem iudicio, insigniores Mathematicæ doctores sunt *Ioannes Regiomontanus*, & ejus præceptor *Georgius Buharius*; *Alexander Andersonus* Scotus; *Nicolaus Copernicus*, Borussus, qui annis triginta sex descriptionem de Revolutionibus orbium celestium elucubravit; *Franciscus Maurolicus Abbas Messanenensis*; *Petrus Nonius Lusitanus*; *Martinus Ghetaldus Raguusinus*, Italus; *Franciscus Vieta* Gallus; *Adrianus Romanus Germanus*; *Christophorus Clavius Germanus*, *Bambergensis*; *Christophorus Grienberger Hallensis*; *Tycho Brahe Danus*; *Ioannes Keplerus*.

Non multos nominavi, si scientiæ amplitudinem spectemus.

In Politicâ.

Robertus Bellarminus publicavit Orbi tres libros de Officio Principis Christiani, scriptum minimè salebrosam, & longè utilissimum. Huic vino non opus est hederâ.

Iustus Lipsius sex libros Politicorum scripsit, & duos Monitorum ad præcepta politica spectantium. Opus reverè elaboratissimum. Neque hic hederam appendit huic vino.

Ioannes à Chockier Juris utriusque Doctor, & Patricius Leodicensis, sex libris thesaurum dedit Aphorismorum politicorum, in quibus Principum, Consiliariorum, & Alicorum institutio. Scriptio præcisè erudita & utilis. Non dubitem notum tibi opus Thomæ Aquinatis, de Regimine Principum. Vidisti utique Politicorum libros decem, ab Adamo Contzen scriptos, & libros duos à Carolo Scribanio. Uterque nostri ævi notissimus scriptor.

Ceterorum ingens series est. Hic in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.

In Medicâ.

In parte primâ, capite decimo, nominavi Medicos nobiliores, & vero nomine Archiatros, *Christophorum à Vega*, *Donatum Antonium ab Altomari*, *Nicolaum Pisonem*, & ad usum hujus ævi *Danielem Sennertum*, qui medicam omnem doctrinam exactissimè censetur tradere. In medicis institutionibus ceteros præcellit brevitate *Gilbertus Taccheus*.

De valetudine tuendâ & commodiore diætâ ceteris, ni fallor, insigniùs scripserunt *Hieronymus Cardanus*, qui libris quatuor prolixioribus, & *Edmundus Hollingus Ingolstadii* olim professor mihi notissimus, qui illud instituti tam eruditâ, quam succinctâ scriptione profectus est. Utrumque suadeo legendum. Res summi momenti, cura diætæ.

Sed addo in auctarium. *Isaël Spachius* Medicinæ Doctor & Professor, typis in lucem dedit Nomenclatorem Scriptorum Medicorum, hoc est, Eleæchum eorum, qui artem Medicam suis scriptis illustrarunt, secundum locos communes ipsius Medicinæ, cum duplici Rerum & Auctorum indice. Editus Francofurti anno 1591. Hæc porro capita quæ oculis subjiciam, singularim à Spachii Nomenclatore proponuntur: Medicina, paginâ 1. Medicina Chymica, p. 26. Medicina veterinaria, p. 29. Medicina astrologica Jatro-mathematica, p. 40. Medicus, pag. 41. Physiologica Medicinæ

Tom. II.

A pars, p. 44. Res naturales: Elementa, p. 45. Temperantia, p. 47. Humores, p. 48. Patres, ibid. Anatomie, corporis humani dissectio, p. 50. Facultates & earum actiones, p. 57. Calidum & humidum inartum, p. 63. Spiritus, p. 63. Ætas, pag. 64. Homo, pag. 64. Tristitia, sanitatis conservatrix, pag. 68. Aër, pag. 73. Cibum, p. 74. potus, pag. 76. Affectus animi, ibid. Somnus & Vigilia, p. 81. Mors & Quies, p. 83. Inaniritio, Repletio, ibid. Res præter naturam, Morbus, p. 84. Simiotica signa, pag. 88. Therapeutica Methodus medendi, pag. 97. Diætetice, pag. 147. Pharmaceutice, pag. 148. Herbarum sive stirpium Historica, pag. 173. Chirurgia, pag. 198.

Huic Elencho Spachii jungamus *J. Heurnii* Ultrajectini Institutiones Medicinæ, unâ cum Modo studendi eorum qui Medicinæ suam operam dicunt. Hæc simul edita Lugduni Batavorum anno 1592.

Institutionibus Heurnii utiliter addentur *Petri de Tullignano* Compositiones & Remedia ad plerosque omnes affectus morbosque sanandos. Egregius reverè, & ut vides, compendiosus libellus, cui adjuncta est Summula è libris Melsæ excerpta. Hæc vulgata typis Lugduni an. 1587. Sed ad Jurisprudentiam transeamus.

In Jurisprudentiâ.

Quinam Jurisprudentiæ studioso præcipuè legendi *Qui in Juri* sint, docet *Hermannus Vulteius* in Prolegomenis ad Jurisprudentiam duos libros, quos Jurisprudentiam Romanam inscribit. Huic, ni fallor, credes plurimum annorum professori.

In Theologiâ.

Theologiam universam meditatis sanè ac copiosè & Theologiae accuratis commendationibus illustrarunt *Franciscus Suarez*, *Gabriel Vasquez*, *Gregorius de Valentia*, *Adamus Tanner*, *Martinus Becanus*, alii. Hanc ipsam, quam vocant Scholasticam, omnem Theologiam ii, quos nominavi, tomis pluribus; at uno complexus est *Alexander Pefantius Romanus*, scriptor vel eo etiam nomine laudabilis, quia brevis. E ceteris hoc quidem tempore *Adamum Tannerum* censuerim lectori fore opportunissimum. His, si placet, *Jacobum Granadum*, Theologum recentem, Hispanum annuera.

Si Theologiæ partes inspicimus, de Trinitate *Didacus Ruizius*, de Incarnatione *Iosephus Ragusa*, de Sacramentis *Ioannes Præpositus*, & *Egidius Coninck*, de Matrimonio, optimè omnium, ut videtur, *Thomas Sanchez*, de Jure & Justitiâ *Leonardus Lessius*, de aliis alii disputant.

In Controversiis tradendis, post *Robertum Bellarminum* exactissimus habetur *Martinus Becanus*.

In Theologiâ morali docendâ, jam omnium optimi censentur, *Martinus Bonzina*, *Vincencius Fillucius*, *Paulus Layman*. Extat synopsis eorum, quæ Fillucius tribus tomis docuit. Aliorum sanè Theologorum neminem sperno, neque minùs æstimo, sed mihi notiores & usû familiariores sunt, quos nominavi.

Melioris notæ auctores, ni fallor, à fronte jam nôsti. Agedum & intus illos nosse incipe legendo. **F A V T S.** Quomodo legam? **E V L O G.** Numquid non satis dictum hæctenus? Excerptendo. Sed quia hic pluculum documenti expectas, in verba conferam paucissima.

C A P V T I X.

Auctores quomodo legendi.

E V L O G. Hic ternas pariter præceptiunculas instillo. **1.** Lectionem vagam vita. **2.** Auctores à capite ad calcem evolve. **3.** Non cursim, non perfunctoriè, sed meditatè ac constanter lege.

Lectionem vagam *Annæus philofophus* damnans: *Vide, Senec. ep. 2.* inquit, *ne ista lectio multorum auctorum, & omnis generis mihi p. 388.*

V u u 3

Quomodo legedi sunt auctores: tres assignantur præceptiuncles.

voluni-

voluminum, habeat aliquid vagum & instabile. Certis ingenis immorari & inmutari oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Dissuasum est, qui ubique est, in peregrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat necesse est iis, qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim & propterantes transmittunt. Non prodest cibis, nec corpori accedit, qui statim sumptus emittitur. Nihil aequè sanitatem impedit, quam remedium crebrè mutatio. Non venit vulnus ad cicatricem, in quo crebrè medicamenta tentantur. Non convalescit planta, qua saepe transfertur. Nihil tam utile est, quod in transitu proficit. Fastidientis stomachi est multa degustare: quae ubi varia sunt & diversa inquant, non alunt. Probatos itaque semper lege: & si aliquando ad alios devolvere libuerit, ad priores redi. Exerce, quod conquis. Hoc ipse quoque facio.

Cura triplex ad lectionem adferenda. 1. Rei.

2. Verborum, Styli, & Sententiarum. 3. Numeri.

Eadem est ratio lectionis & comedendi.

Sen. ep. 108.

mibi p. 636.

ex eadem materia suis quemque studiis apta colligere. In eodem prato bos herbam quarit, canis leporem, ciconia lacertam. Cum Ciceronis libros de Repub. prehendit hinc philologus aliquis, hinc grammaticus, hinc philosophia dedimus, alius aliud curam

Ergo vage lectio plus laboris habet, quam utilitatis. Hinc censeam ordinariæ lectioni, haud plures duobus destinandos. Nam, quod ad institutum spectat maximè, cura triplex ad lectionem adferenda. 1. Rei. Hic plurimum juvare, totius operis argumentum præcipere, mentem & animum auctoris nosse, inventionem, dispositionem, persuaderi rationes observare, hinc inveniendi, disponendi, probandi modum discere. 2. Cura sit Verborum, Styli, Sententiarum. Expende num verba propria sint, an translata; num obsoleta, prisca, peregrina, rara, an usitata, congruentia, venusta. 3. Sit Numeri. Non poëta tantum, sed & oratores, scriptoresque alios suos habent numeros, & periodorum flexus. Audias subinde orationem cetera non inlegantem, sed tamen asperam, hiuleam, claudicantem, numeris omnibus destitutam; mox frontem obduces, & nauseabis. Si ergo sit numerosa, & sonore suavitèrque fluens oratio, si aperta & facilis connexio, de imitatione cogita.

Cum verò librum lectitare coepis (quod altera monebat præceptiuncula) illum, à capite ad calcem perolve, nimirum à carceribus ad metas decurre, ab exordio ad epilogum, à principio ad finem rimare scriptionem susceperis: ita quidem, ut ipsam etiam dedicationis epistolam, & quæ ad lectorem est, non transilias. Hæc enim omnia ad pleniorè & auctoris, & libri cognitionem faciunt.

Tertia præceptiuncula jubet lectionem non esse properantem, non tumultuariam, non præcipitantem, non perfunctoriam. Edendo bolos festinanter ac raptim ingerere, plurimum nocet; eadem pane legentis, quæ comedentis est ratio: ægrè digeritur, quod adeo celeriter & præproperè ingeritur, non satis percipitur, quod ita festinè ac cursim legitur. Et sicut properanter te orare, sic nolim & legere. Nonnumquam, dum legis, insiste, & perpende lecta: cum locus est obscurior, pressiore pede incedendum. Opus festinatum & subitarium, idemque perfectum perquam rarum est. Approperata plerumque imperfecta. Aliqui legunt, ut canes è Nilo bibunt, ideoque non valde proficiunt. Canis festinans cæcos parit catulos. Festina, sed lentè. Cum nulla verborum & styli habenda est ratio, paullo celerior per paginas volvi potest oculus; at ubi tam verba, quam res excerpanda, lentior sit lectio necessum est. Nonnumquam eadem secundum ac tertium legere ne pigeat, ut quod notatu dignius, id memoriæ tantò firmius inhaereat. Et ipsa, quæ quis conficit Excerpta, aut eorum saltem indices frequentius relegendi, ne forsitan tuas ipse opes nescias. Et quamvis Philosophus, Medicus, Jurisperitus, Theologus, aliisque bonis artibus addicti, poëtarum, aut historicorum aliquem legant, poterunt tamen & isti, sua quisque studia eâ lectione mirificè locupletare ac promovere. Non est, quod mireris, ait Seneca,

A suam mitti. Quilibet, quæ sui sunt fori aut excerptis, aut memoriæ tradit. Porro ignavio aut laboris fugiens, si quid venustius occurrit, vel chartæ unguem infigit, vel perverus minio subducit, vel ad libri marginem notas apprimat, vel chartulas pagellis inserit, vel pagellæ apices infleat, aut discerniculum, aut librarios fuicuculos immittit: quæ omnia ferè vitiosa, tedium laboris aut ignorantiam excerptendi produnt. Memoria modis melioribus juvanda. FAUST. De memoriâ jam pridem avēbam quærere. Quid vetat de ejus adminiculis breve documentum attexere? Obsecro, Eulogi, doce firmiùs meminisse.

CAPUT X.

Adjumenta memoriæ.

ELOG. In tuam solius gratiam id fecero. Sed verborum complectar. Excerpte, non meminisse hinc doceo. Quosdam memoriæ magistros rideo, qui nescio quot domunculas ædificant, & in domunculis cellulas, rerumque imagines multiplicat in infinitum. Eruditione sanè principium ad inducendam phrêsin. Ad hanc porò memoriâ, quantâ opus est memoriâ? si velimus, Faustine, impendiis minoribus insanire possumus.

Duo sunt memoriæ præsidia quàm præstantissima. Duo meo Ordo & Imaginatio: sic appellem. Si quid eorum, quæ tu ipse scribis, cum facillimè, tum firmissimè velis memoriæ mandare, quàm ordinatissimè scribe. Princeps memoriæ subsidium ordo. Ordinem negligis: laborem supra modum auges; ægerimè ingeris, celerimè elapsura. Ordo, anima memoriæ. Quidquid memoriæ cupis tradere, id priùs in ordinem digere. Incredibile dictum est, quantum hæc usia res, ordo, reminiscendi facultatem adjuvet: in arenâ vel aquâ scribis, quod absque ordine memoriæ tradis. Nec verò quidquam adeo incompositum, confusum, inordinatum est, quod non in certum ordinem adducat industria.

Si quis memoriâ amiserit, Antonii Mizaldi suavis cerebro suillo cum nuce unguentariâ * & cinnamomo vescatur, reparandæ memoriæ. Sed ego hæc artificiosa non magni facio. Omnium instar mihi ordo est. Gloriarum Erasmi Chiliadum scriptor, se puerum adhuc, Horatium & Terentium totos edidicisse. Prodigium est, quod addo. Josephus Scaliger, quod mea me Excerpta docent, uno & viginti diebus, totum Homerum memoriæ mandavit. Scis geminas esse Homeri partes, Iliadem & Odysseam. Ilias viginti quatuor libros, totidem habet Odyssea. Versuum habet Ilias unum & triginta millia, sexcentos septuaginta (nisi meus me amicus sefellerit malè numerando) haud pauciores reor Odyssea continet. Non injuriâ hinc quæras, num fidem non superet, intra unum & viginti dies supra sexaginta tria millia Græcorum versuum, à viro illo memoriâ commendata. Adjungo grandius. Idem intra quatuor menses, poëtas Græcos omnes edidit. Obstupescas haud immeritò si legisses, nedum edidicisse dicam. Incipe poëtarum Græcorum vel principes tantum & notiores numerare: Æschylum, Anacreontem, Alcaicum, Aristophanem, Callimachum, Euripidem, Hesiodum, Lycophronem, Musæum, Oppianum, Orpheum, Phocylidem, Pindarum, Sophoclem, Stesichorum, Theocritum, &c. pucos nominavi quorum omnium carmina extant, pleraque omnia ab Henrico Stephano, Aldo Manutio, Joanne Frobenio edita. Cogita jam ceteros, & negabis demum id, quod dixi, fieri potuisse. Sed ego hinc licem non moveo. Memoriâ ordine quàm plurimum juvari ajo.

Ordini appono Imaginationem in firmandâ memoriâ adjutricem longè fidissimam. Nôris probè disponere, firmè Imaginari, & primarium memoriæ artificium jam

tenes.